



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ex Illvstrissimo Cardinali Bellarmino Epitome
Controuersiarum Omnium huius Aeui
Lvthero-Calvinisticarvm Sub diuersis Titulis bis
Quadripertitis digestarum**

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiae, 1624

CVI [i. e. CVII]. Ecqualis Materia, Forma, Effectus, Minister, & ceremonia
Ordinationis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-11726

QVÆSTIO CVII.

*Ordinationis equalis Materia, Forma,
Minister, Effectus, et Ceremonia?*

LVTHERO-CALVINIANI non agnoscunt Chirotoniam: non Verbum Sacramentale certum & efficax; non effectum Characterem, non Ceremoniam Vnctionis: vti conficta & superstitiosa. Volunt Ministerium Ecclesiasticum esse merū Officium functionis: hocque cessante cessare. Hinc illi, qui hodie Presbyter aut Diaconus est; cras, motu officio, est laicus.

SVADET contra Vnctionem & Rasuram *Kemnit pag. 1171.* ita. 1. Christus & Apostoli non sunt illis vsi. 2. In historia Ecclesiastica nullum extat exemplum. 3. S. Patres Vtriusque; nil meminerunt, præter supposititios libros Cypriani & Anacleti. 4. In Ecclesia Græca non fuit vsitata vsque ad annum 1200. 5. Ritus est Iudaicus, ait *Calvinus §. 30. 31.*

AVTOR. I. Materia Principalis Sacri Ordinis est Impositio manuum. 1. Liquet suprâ Scripturis. &c. Minus principalis tamē etiam essentialis, est porrectio calicis, & Euangelii. de quibus nil in Scriptura. Ac licet in Confirmatione fiat etiam Impositio manuum; accidētaria tamen est ibi; primariū verò Chisma. 2. Ita Traditio Pontificiū, Cōciliorū. Patrū, & pars Potior Theologorū. Itaque sacerdotes ordinantur, cum dicitur ad porrectionē; *Accipe potestatem Sacrificium offerendi;* & ad Chirotoniam, *Accipe Sp. Sanctum.* Et hæc est Forma, seu Verbum Sacramentale: Actio vtraque est vna Ordinatio.

II. Effectus est duplex. 1. Potestas spiritalis perpetua cum indelibili characterē: 2. Gratia gratū faciens, ad fungēdū munere. Cyp. *serm. de ablut. pedū Nemo S. Ordines iterū renouat.* Sic & Aug. &c. III. Minister solus est Episcopus ordina-

tus: Nec aliter factos agnoui vnquā Ecclesia. IV. Vnctio est ceremonia verè Sacramentalis; non autem Rasura.

DIEO AD I. Kemnitius toties ex proposito mentitur. 1. Nam etsi de Christo & Apostolis nil scriptum; tamen S. Dionys. *l. hierarch. c. 4.* Pontificem vti sacro oleo in Consecratione, Traditū esse ab Apostolis. 2. Eusebius *l. 10. hist. Eccles. c. 4.* Metaphrastes *in vita S. Chrysostomi. &c.* Vnctionis meminerūt. 3. Patres Item, vt Pacianus *ep. 3.* Greg. *in 4. Reg. 5.* &c. 4. Contrarium docent Dionysius, Euseb. Metaphrastes. 5. Non est Iudaismus, vti reb⁹, quibus & Iudei sunt vsi: sed modus ac finis vtēdi illum constituunt.

XI. DE MATRIMONIO.

QVÆSTIO CVIII.

An Matrimonium sit verè Sacramentum teste S. Scriptura?

LVTHERVS *de Capt. Babyl.* negat: quod nec Signum habet: à Deo institutum; nec Gratia & promissionem.

II. CALVINVS *Inst. l. 4. c. 19 §. 34* ait, Non magis rationem Sacramenti conuenire Matrimonio, quàm agriculturæ, aut rōnflinæ;

III MELANCH *HON in Locū, & Kemnit pag. 1214;* agnoscunt in Matrimonio Mandatum Dei, & Promissionem gratiæ; sed non iustificantis à peccato; ac proinde negant propriè dici Sacramentum, vt sunt Baptismus & Cœna: esse tamen aliquo modo.

SVADENT istis. Lutherus, Calvinus, Erasmus, BEZA, in Eph. 5. *Sacramentum hoc magnū est;* tria volunt. 1. Papistæ ex sola voce hæc definiunt Matrimonium esse Sacramentum; cum græcè sit *μυστήριον.* 2. Intelligitur ibi coniunctio Christi & Ecclesiæ; non viri & fœminæ: Hoc enim quotidianum est; non mysterium. Vnde ait; *Ego autem dico, in Christo & Ecclesiæ.* 3. Sic & Aug. tract. 9. in Ioan.

Erunt